

563

DECANUS  
COMMUNITATIS  
Studii bonarum Artium & Philosophiæ  
ad  
*Renunciationem Baccalaureorum*  
suarum disciplinarum  
in instantem proximè Saturni  
diem  
invitat.

300  
SCHLACHTEN  
GEGEN  
SIEGBACHEN  
BESIEGT  
SIEGBACHEN  
SIEGBACHEN



## F. N. R. F.



On ita diu est, cum ad Solennitatem  
Baccalaurealem Communitatis nostræ  
invitaturi qvædam de Plautinismo, id  
est, Plautinizante, ut sic loqvarum,  
dictione Taubmanni commentaremur.

(a) Simili conditione & fine nunc iterum scribimus.  
Nil impediet ergo, quo minus jam causam & qua-  
litatem ejus rei exponamus, ut alia occasione factu-  
ros nos tunc receperamus, postqvam vidissimus,  
qvæ eō tempore complenda erat charta, eam vix aliud,  
qvam qvæ ad naturam, quem dixi, Plautinismi intelli-  
gendam pertinerent, capturam esse. Et causa quidem  
non alia est, quam nimium æstimium, qvō in Plautum  
propensus Taubmannus fuit. Cujus amoris licet  
multa indicia in scriptis ejus se prodant, eorum tamen  
duo tantum jam notasse sufficiet. Alterum est, qvòd,  
qvicquid à Criticis contra Plautum etiam non sine  
causa dici potest, diluere conatur. (b) Alterum verò,  
qvòd omnia, qvæ viri etiam boni magnificere solent,  
postponenda censet, modo Plauti non solum scripto-  
rum, sed & ossium aliarumque rerum reliquias habere

A 2

pos-

---

(a) Affixa publicè promotionis intimatione Dom. XXIV. post  
Trinitatis A. R. S. M. DC. XCVI. (b) Fit id in Dissertat<sup>i</sup>  
de Lat. Ling. p. m. 62. seqq.

possit. (c) Credoque, non ex alia re tantum amorem in Plautum excitatum esse, quam quod, quam lepiditatem ingenii natura Comico olim tribuerat, eam & post tot secula elapsa iterum in Taubmanno finxerat. (d) Circa qualitatem expedienda est quæstio, vitiorum an virtutum censu Plautinum Taubmanni loqvendi scribendi que genus sit habendum. Evidem execror ex animo fastum istorum, qui ut in superiori Germania viventibus omnem, quæ ab eruditione haberri potest, laudem adimunt, ita nihil insulsius dici posse clamant, quam quæ in Taubmanni encomia proferantur. Quo consilio Fabricium Taubmannum taxavisse, Fellerus b.m. autore est. (e) Neq; audeo etiam de viro iniquè judicare, qui consentientibus plerorumq; eruditorum suffragiis punctum omne fert, & cuius carminibus Veneres etiam Charitesque multæ insunt. Sed & Sol non est sine maculis. Siq; rigorem adeò adhibere velim, quædam arguenda esse, dissimulare non possum. Ut ferendum enim censem, ad risus movendos aptissimas sententias in dissertatione de lingua latina ponit, quod, velut veteres Comici Fabulæ suis vitia hominum invisorum in voluptatem spectatorum taxare conservaverant, sic & Taubmanno hoc loco propositum fuit venditores laureæ poeticæ exagitare; vix tamen

excus

(c) Colligi hoc quodammodo potest ex Epigrammate ad Bernhardum Prætorium Melodæs. p. 414. cuius distichon ultimum ita se habet:

Mallem ego pistrinum molitoris cernere Plauti,  
Quam Capitolini maxima templa Dei.

(d) Indicat hoc Fellerus l. in priori programmate citato, quando in Plauto invenisse Taubmannum stomachi sui comicum censet, (e) l. sup. cit.

excusari posse, persuasum est, quod quæ ad Plauti similitudinem accedunt, cætera in omni carminum genere, & in epico & in lyrico, & in aliis promiscuè usurpavit. Neque enim ad gravitatem epicam apta sunt, quæ festivitatem comicam decent. Sique carminis maxima virtus perspicuitas est, quomodo ista inter tot antiqua & minus usitata vocabula salva esse possit, non appareat. Quin quemadmodum catachresticæ locutiones stylum Latinum devenstant, sic obscenæ Christianum lædunt. Perspectum quidem est, ipsum jam Taubmannum pro se dixisse videri posse, quando Plautum excusaturus, quòd & antiqua ponat, & obscenos jocos admisceat, utrumque illum rectè fecisse censet, non solum, quod antiquis & obscenis parcè utatur, verum etiam, quod & in Virgilio & in Cicerone similia reperiantur. (f) Sed cavendum est, ne existimemus, si vel maximè Plautus excusatus ita sit habendus, pari ratione Taubmannum hac defensione profeti posse. Impedit enim triplex causa. Primum non eo tempore Taubmannus scripsit, quō nondum constabat, verba illa, quæ à Plauto, Cicerone & Virgilio adhibentur, antiquata esse, ut forte à Ciceronis & Virgilii ignoratum est. Indeque, dum ad suum decorem Latinum sermonem primi adduxerunt, quædam sordium antiquarum adhærere sine culpa poterant, quas qui sequuntur, vitare debent; perinde, ut qui Germanicam linguam primi excolere cœperunt, subinde unum atque alterum verbum antiquum inspergunt, à quo immunes sunt, qui post eos scriplerunt. At verò secundo & Plautus, cum Comico, festivoque adeò scribendi genere delectaretur, eique soli incumberet, non

poterat non etiam festiva constanter sectari. Sed Taubmannus & res sacras salibus Plauti condire conatur. Tandemque Christianos decet ab omni sermonis impuritate abstinere. Sed tamen nec, quæ pro Plauto adducuntur, omnia vires objectorum argumentorum prorsus enervant. Ad vitio Comico data verba obsoleta & minus in vulgus nota respondet Taubmannus, partim non omnia pro obsoletis habenda esse, quæ ab imperitis & ad veteres reconditioris doctrinæ scriptores legendos vel tempore vel torpore non admisisse pro obsoletis habeantur, (g) partim omnibus classicæ notæ scriptoribus commune esse, quod obsoleta quædam usitatis interponant. (h) Sed quis non videt, longè petitas has incrustationes maculas Plauti quidem tegere, non verò abolere. Primum enim & id ipsum, quod non nisi à paucis & rarò usurpantur, indicio est, verba minus usitata communi Latinè loquentium consensu, qui solus Latina verba facit, civitate, de qua quæritur, vel nondum esse donata, vel iterum exclusa. Et qui obsoleta in classicæ notæ aliis scriptoribus occurrentia cum obsoletis Plauti verbis componet, tanto ea discrimina distare inter se animadvertiset, quanto pallium mendici, quod ex versicoloribus panniculis studio consutum est, differt à veste viri honesti, cui casu & non animadvertenti detriti quid lintei adhæsit. Obscenitas Plauti æq; insufficienter purgatur. Nam & obscenos Plauti jocos fatetur ipse Taubmannus. (i) Et quæ de obscenitate erudita in vocibus poma, saltus, hortus, fundus, concha, navis, dividere, concidere, scindere, cadere scribit, (k) hoc majus crimen habent, quod

---

(g) I. c. p. 79. (h) I. c. p. 63. (i) I. c. p. 70. (k) I. c. p. 71. seqq.

quòd non obscenitate ipsa solum sic Comicus delectatus fuit, sed & innocentia vocabula, & per se ad exprimendas res honestas nata turpibus sensibus corrupit, ut Petronius Arbiter hoc magis damnandus est, quod elegantissimae Latinitati rerum, de quibus agit, fœditate & lascivia vitium obtulit. At tandem tamen multi viri eruditi fuerunt, qui prolixissimis laudibus Plautum cohonestarunt, ipsumque vel omnium poetarum ingeniosissimum, politissimum, festivissimum appellant, vel eo ad locupletandam orationem Latinam & facultatem sermonis, copiamque verborum nihil esse utilius judicarunt. (1) Sed ut & quidam non obscurè fœditatem & in sententiis ludentes inventiones arguunt, quando pro ingenioso & festivo venditant, ita quæ de discenda Latina lingua dicuntur, non prius de sermone Plauti dicta probando judicio esse intelligenda sunt, quam à turpitudinibus, obsoletis, minus usitatis, & ad risum excogitatis descriptionibus & inventionibus separatus est. Nolimus igitur nos, ut Taubmannus, in omni scriptio[n]is genere ingenium Plauti sequi. Potiusque elegantem sermonem credimus, qui ex verbis & sententiis constat, quæ ad omnem pure loquentium familiarem consuetudinem quam proxime accedunt. Inque eō etiam egregiè versati deprehensi sunt, quos in conspectum producimus, & stirpe, & ingeniis & studiis ornatisimi juvenes,

**JOH. ADAMUS Scherzer / Lipsiensis,**  
**JOH. HEINRICUS Böhler / Dresdensis,**  
**JOH. CHRISTOPHORUS Böhler / Dresdensis,**  
**JOH. FRIEDERICUS Fritschy / Chemnicensis Misnicus,**  
**Gottlob Friedrich Jenichen / Lipsiensis,**  
**JOH. FRIEDERICUS HOMELIUS, Lipsiensis,**

---

(1) I.c. p. 56, 57, 58.

JOH. ELIAS WEISSIUS, Leucopetraeus Misnicus,  
FRIEDERICUS DASDORFF, Reichenbachiô-Va-  
riscus,

GODOFREDUS ERNESTUS Müller / Stolbergâ.  
Misnicus,

JOH. Ehrenfried ERNESTI, Rochlitiensis Misnicus,  
JOH. ADAMUS Mühlvford / Illeburgensis Misnicus,  
GEORGIUS WILHELMUS Christ / Grosjenevvi-  
zensis Silesius,

Gottfried Feige / Kreibaviâ - Silesius,

ERDMANNUS UHSEUS, Gubenâ - Lusatius,

DAVID Mötig / Muscavia . Lusatius ,

SEBASTIANUS Seydel / Chemnicensis Misnicus,

JO.DANIEL LONGOLIUS, Bischofsvverda - Misnic9,

ANDREAS CHRISTOPHORUS CALVISIUS,  
Quedlinburgô . Saxo.

Neque solum a puritate sermonis commenda-  
mus. Sed in ipsis etiam Philosophiæ studiis profectus  
non contemnendos fecerunt. Examine enim consue-  
to tentati digni omnes apparuerunt , quos collatis pri-  
morum Facultatis nostræ honorum titulis ad tentanda  
majora excitaremus. Ad futurum itaque Saturni diem  
H. L. Q. S. Bonarum Artium & Philosophiæ Bacca-  
laureos renunciabimus. Qui honores ut hoc solennius  
conferantur, Rectorem Academiæ Magnificum, utri-  
usque Reipublicæ Proceres, ut & Studiosæ juventutis  
Nobilissimum Ordinem, quibus fas est, & decet, obse-  
quiis studiisque rogamus, ut qua antea conservaverunt  
præsentia, ea & nunc propensum in nos resque nostras  
affectionem declarent. Non erit, quo non vel simili vel  
aliis etiam quibuscumque occasionibus reciproca offi-  
cia ad compensandam exhibitam nobis promptitudi-  
nem deferre iterum studebimus PP. Dom. Qua-  
simodogeniti A. R. S. M. DC. XCVII.